

A

2023
1000

BIBLIOTHEK
WOLFENBÜTTEL

856 Theol. (5)

7777

6
THEOPHANIA.
COMOEDIA
NOVA, ET ELEGANS,
DE PRIMORVM PAREN-
TVM CONDITIONE, ET ORDI-
NVM SIVE GRADVVM IN GE-
NERE HVMANO INSTI-
TVTIONE.

NICOLAVS SELNEC-
CERVS. [*Selnecker*]



VVITEBERGAE EXCV-
DEBAT LAV. SCHVENCK.

1560.

356. Th.

ILLVSTRISS.

PRINCIPIS AVGVSTI,
ELECTORIS, SAXONIAE DV-
cis, Landgravij Turingiæ, Marchio-
nis Misniæ, Imperij Archimare-
scalli &c. Domini sui clementiss.

Filio, Domino D. Alexan-
dro &c. S. P. D.



Rædarè Xenophon in-
quit: ἀγαθὸς ἄρχων οὐδὲμ δια-
φέρει ἀγαθὸ πατρός. Et apud
Homerum bonus Prin-
ceps ἡσίο πατὴρ nomina-
tur. Quicquid ergo de of-
ficio boni patris dici potest, idem quoq;
de officio magistratus intelligendum est.

Consistit autem officium boni patris
in his tribus, in *υπεροία κυρίω*, ut Paulus
uocat, in *παιδεία*, & in nutritione. Talis sit
& bonus magistratus. Primum curet, ut
vera doctrina de Deo sonet in sua regio-
ne, ut in uersu dicitur: Principis est uir-
tus maxima nosse Deum.

A ἦ Et



Et Esaias sic consolatur Ecclesiam,
inquiens: Reges erunt nutritores tui, &
Reginæ ipsorum nutrices tuæ. Tales
fuerunt Constantinus, Theodosius, &
alij pñ principes.

Deinde curet magistratus discipli-
nam, id quod fit tribus modis, si uidelicet
sit custos decalogi, quod ad externam
obedientiam attinet, & sit tanquam ui-
carius Dei sonans uocem legis moralis,
& iuxta eam subditos regens, & mode-
rans: deinde si sit custos posituarum, &
suarum legum, quæ sunt determinatio-
nes decalogi, & sunt tanquam admini-
cula seruandi decalogum seu legem na-
turæ. De his duobus modis loquitur
Aristoteles, cum magistratum nominat
φύλακα τῶν νόμων: tertio si sit executor de-
calogi, & suarum legum, & exerceat iu-
dicia, & pœnis corporalibus puniat con-
tumaces, ut Paulus Rom. 13. euidenter
de hoc officio magistratus loquitur: Non
frustra gerit gladium, sed Dei minister
est. Et celebre est dictum Aeschinis;
ὄνδερ βίην ὀφείλει πόλει, ἢ μὴ νύστα ἰδι-
ῶν ἀδικούντων ἔχει. Vnde & uoces illæ oro-
tæ sunt: Bonis

Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.
Inuitat culpam, qui peccatum presserit.
Fœlix improbitas, optimorum est calamitas.

Et Cicero inquit: Magistratus non
obedientem, & noxium ciuem, multa,
uinculis, uerberibus coërceat.

Non autem tollitur ἐπιείκεια & con-
donatio digna magnis principibus, de
qua alibi dicitur, & quæ in hac regula
optimè compræhenditur: Quando legis
uoluntas admittit ὑπερίκτα, & reus emen-
dari sine duriore pœna potest, ac popu-
lus non redditur deterior exemplo, po-
test magistratus clementiore sententia
uti, & reo supplicii emendationis spe par-
cere.

Postea magistratus sit nutritor &
defensor suorum, iuxta uersum:

Principis est uirtus proxima nosse suos.

Defendere autem suos debet duo-
bus modis. Primum si sit pacificus ipse,
amans & custos pacis, & tueatur suos
contra latrocinia, & iniustam uiolen-
tiam, & stet pro lege, & pro grege, pro
aris, & focus. Deinde si sit γειώσιμος, id
est, de uictu subditis prospiciat, ne illi ni-

mīis oneribus & exactiōibus deglubantur, sicut Tiberius dixit: Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere. Et in Daniele Princeps est arbor, sub qua pascuntur subditi. Habet quidem magistratus ius exigendi tributa. Sed fines tres sunt, quos etiam Cicero pro lege Manilia recitat, ut sint ornamenta pacis, subsidia belli, & nerui reipub. Cum autem saepe accidat, ut propter maiora pericula deuitanda, & propter hostes patriæ depellendos, & huiusmodi alia extraordinaria, & inconsueta onera, maioribus tributis magistratus indigeat, licet petere etiam extraordinaria tributa, quæ non debent esse priuatæ libidinis aut luxuriæ instrumenta.

Hæc breuiter de appellatione patris, quo pius magistratus in sacris & profanis literis insignitur, dicere uolui. Nam & in sacris literis legimus appellationem, Abimelech, quæ nihil aliud significat, nisi, pater mi rex. Et Valerius Messala cum Augustum Cæsarem iussu populi Romani salutasset patrem patriæ, tanto gaudio perfusus Augustus fuit, ut diceret,

ret, in tota uita sibi nil gratius esse posse, & se optare & petere à Deo, ut hoc insigne nomen usq; ad mortem suam obtineret.

Hæc ad te, Princeps Alexander, scribo, ut qui & ipse Dei beneficio in hoc culmine & fastigio alios suo tempore regendi uiuis, & nunc illustria exempla patris tui, Domini mei clementiss. &c. in conspectu habes, cuius uestigijs tibi imitandum & inhærendum erit. Quanta laus sit esse fidelem & pium principem, nulla lingua exprimere potest. Sed antithesis in tyrannis, Pharaone, Absolone, Iesebele, Ioa, Herode, Astiage, Cambyse, Tarquinio Superbo, Nerone, Valente, Caligula, & alijs multis monstris ostendit, quantum donum Dei sit uiuere sub principe amante doctrinæ Dei, uirtutis, & pacis. Et certè pijs principes non nascuntur fortuito, sed omnino Dei dona sunt, id quod senserunt & experti sunt omnes pijs, & honesti homines, etiam inter ethnicos, sicut hæc quoque Comœdia nostra ostendit, quæ ex narratione ueteri desumpta tibi iam mit-

A iij titur,

titur, dedicatur, & offertur. Nec uero de
forma, & elaboratione multum disputo,
cum à me scripta sit ante octennium, &
nunc ocium in hac mea difficili functio-
ne non sit corrigendi corrigenda, nec
etiam propterea à me initio scripta sit, ut
ederetur. Nunc cum literis suis flagitent
multi studiosi editionem, permisi sane
edi hanc Theophaniam. Quod si munus
te principe non satis dignum uisum fue-
rit, ueniam erroris peto. Illustris. Item-
ma tuum Deo patri Domini nostri Iesu
Christi commendo, & oro eum, ut cus-
todiat, regat ecclesias nostras, & polia-
tias, & det eis salutarem gubernationem,
& salutarem pacem. Bene & feliciter
Celsitudo tua ualeat. Dresdæ, mense
Iunio, M. D. LX.

Celsitud. tuæ

seruus

Nicolaus Sel-
neccerus.

Pro

PROLOGVS.

Generosi, nobiles, & prestantes uiri
Sapientia, doctrina, ampli uirtutibus,
Preceptores obseruandi omnibus modis,
Et ceteri, qui ornatis hunc nostrum chorum
Vestra presentia: salutem plurimam
Vobis precamur omnes uoce candida,
Et oramus clementem & propiciam Deum,
Ut nos, sicut conuenimus, sua tegat
Manu, conseruet, & regat, pacemq; det
Ecclesie, scholis, & rebus publicis.
Et sedet omnium furores impios,
Quicumq; obesse Ecclesie in animum sibi
Inducunt, aut aliàs turbant respublicas.
Sed cur nos prodiaerimus ad uos, auribus
Placidis accipite à nobis, placidè quæsumus:
Acturus est noster chorus Comœdiam,
Cui nomen THEOPHANIAE autor noster indidit,
Quòd hic reuelet se Deus parentibus
Primis post lapsum, & consoletur mitibus
Verbis eos, promissionem seminis
Subinde inculcans, argumento sicuti
Res hæc refertur. Vnde uero acceperit
Materiam, & cur instituerit autor tempore hoc
Misero proferre hanc actionem, dicier
Forſan neceſſe erit. Expediam negocium
Breuibus, si patulas aures nobis dederitis.

A 5

Narrat

Narratio hæc quodam poemate ueteri
Extat, descripta Mantuani uersibus
Que licet haud historica sit, est uera tamen,
Venusta, & eruditè conficta à bonis
Viris, iuuentutis monendæ gratia,
Vt cogitet discrimina ordinum Deo
Autore esse instituta, & operam cui libet
Dandam esse, ut personam suam uirtutibus
Tucatur. Hæc quoq; adeo reuerendo seni
Melanthoni, Deus cui mille det dies
Viuenti tranquille, placuit narratio,
Vt eam suis illustraret uerbis lubens.
Alij; plures hoc idem aggressi suo
Studio argumentum assumpserunt, Comædiæ
Forma tractare tum lingua Germanica,
Tum quoq; Latina, ni incautus fallor tamen.
Horum operam imitatus autor suscepit, suo
Quidem conatu, sed quo successu nihil
Ipse sciat, eandem operam, quamuis foeliciter
Sibi rem successisse exoptet, iudice
Animo bono, & candoris amante simplicis,
Suscepit attamen committens turbidis
Ventis uela. Nec opus rationem reddere
Putat esse, cur cum alij tractârint hoc idem,
Ipse uelut detrahens alijs laudem boni
Laboris, uoluerit autor conspici nouus.
Certè suum ingenium certò scit nemini
Nocere uelle, nec ualere. Sed tamen

Se pur

Se purgat, quod res usitata cernitur,
Vt aliquoties id, quod bonum est, ueniat bonis
Repetendum, & uariè retractandum sæpius.
Hoc & bonos, contentos confidit fore.
Sed unum est, in quo ueniam maxime petit.
Videbitis Cain petulantem perfide,
Et contumacem, & omnibus contrarium,
Et etsi non satis describi eius queat
Malitia, tamen uerendum est, ne fiat nimis,
Ob causas, quæ sunt cognitæ prudentibus.
Et forte poterit actio primæ minus
Conueniens etati uideri, in qua suum
Locum τὸ ἠγεμονικόν, ut docti uocant,
Habuit. Patetur hoc autor uobis nihil
Disimulans, aliterq; potuisse rem hanc agi,
Vt primæ etati conuenissent omnia,
Patetur libere. Sed sic cecidit tamen,
Vt ἐπιθυμητικὸν daretur hic locus,
Quem multa ex parte hæc obtinet Comædia.
Sciatis autem, & iudicetis candidè,
Quod id sic factum est, esse factum, pessimis
Vt congrueret hominum nostrorum moribus
Tota actio. Et boni, mores hos discerent
Fugere, & bonos amplecti mores firmiter.
Hac ratione usus cum sit autor, sedulo
Petit ueniam sibi dari, si quid nimis
Dictum esse iudicent prudentes iudices.
Profecto causa non deest. Sic seculum

Nostrum

Nostrium est, & his accommodatum moribus
Quod ad uulgus, ne nimium proloquar, attinet.
Rogamus ergo, quo decet ore rogare uos,
Ut, sicuti candore uestro qualibet
Interpretamini, benigni nunc quoque
Sitis nobis. Autor promittit omnia
Vicißim, quæ suis præstare uiribus
Potest. Et nos erimus tales, quales decet
Esse memores beneficij exhibiti bonis.
Audite nunc, quæ sunt commemoranda, auribus
Placidis, humanis, æquis, sic uos quesumus.



PERIOCH

PERIOCH.

Lapsus suum Eua secum deflet maxime.
Quod prima fuerit fax, & causa criminum,
Ira Dei, eterne mortis, & omnis mali.
Priusquam rus abeat. maritus ipsius
Eam solatur, & promissionibus
Dei erigit: Deinde cum festus dies
Futurus postridie sit, ut natos lauet
Adam Eua præcipit. Dum mater id facit
Cain nimis dolorem auget matris suæ.
Non paret, nec terretur homines, nec Deum.
Lauari denegat, mimatur fratribus
Suis necem: Interea dum mandat ceteros
Mater, uenit Deus comitatus ab Angelis.
Abel & Seth expectant, cum loti sint, Deum.
Cain se sceno occultat, sordidus nimis.
Ingreditur Deus, & pietatem illam comprobã,
Quod se diei festo mundos præparent.
Exammat pueros, placet Responso.
Iubet uocari Cain, qui insulse Deo
Respondet. Hunc seruum ergo ipsius fratribus
Subijcit: & constituit uitæ humanæ gradus,
Et Ordines: ministerium uerbi sui
Abelo commendat: Reipub. statum
Seth suscipit recte gubernandum sibi.
Post hæc Deus promittit auxilium suum
Pijs, Eua solatur, & in cœlum redit:

INTER:

INTERLOCV

tores.

Adam.

Eua.

Cain.

Abel.

Seth.

Ham.

Esau.

Deus.

Gabriel.

Michael.

Raphael.

THEO



THEOPHANIA.

ACTVS PRIMISCE NA PRIMA.

EVA SOLA.

Quam pessimè de posteris egi meis,
Et de genere toto humano miserrima,
Seducta Diaboli persuasionibus.
Ah si tetrum nouissem serpentis dolum,
Nunquam fuisset lapsa. Sed sero sciens,
Nunc cum meis una graues poenas luo:
Et me quod urget commisso malo manet.
Edebat Anguis uerba, quæ nihil mali
Testo referre posse credebam dolo,
Et non putabam serpentis sumpta cute,
Specieq; ficta posse hostem se prodere.
Prò rem tetigit astu. Serpens notus mihi
Prò cæteris erat animantibus. Nihil
Damni mihi uenturum de tam cognito
Serpente rebar unquam. Væ mihi, perfide
O Belial, en te proprio noui malo,
Mei mariti maximis laboribus,
Meorum posterorum letali cruce.
Si forte Satanam per Serpentem cognitum
Potuisse, loqui scissem, nihil foret mali,
Nec persuasisset hostis, pomum ut arboris

Ori

Ori admouissem, quæ miseram scientiam
Boni & mali tulit, mihi nimis mali.
Putabam stulta montes esse argenteos,
Et aureos, quæ serpens referebat mihi.
Ah quòd rarò blandis inest uerbis fides.
Tam suauiter adulantibus mihi gestibus,
Serpens frequentia promebat poppysmata:
Ego cogitabam uera prædici mihi,
Et iudicabam simplex alios simplices,
Et recta rectos esse, & ornatos fide.
Nam sic mihi dicebat hostis perfidus:
Nolite quæso credere,
Deum tam amenos uobis fructus arboris
Negasse, ne liceret his uesci parum.
Certe misereor cœcitatibus maxime,
Qua uerba tam strictim capitis, & his Dei
Iniuriam infertis iussis. Sumo Deum
Verbis meis testem, qui corda perspicit,
Quod quo die sumpseritis fructus arboris,
Vobis aperientur oculi mentis statim,
Eritis Deo æquales, & scietis omnia,
Bonum, & malum, futura prouidebitis.
Hec hæc & his maiora sunt bona arboris,
Et plura, quæ numerare lingua non potest.
Quæ fructus hic mortis, quæso, pulcerrimus
Queat esse causa, uel saltem scintillula?
Cur arborem Deus tam pulchre condidit?
An non ad usum uestrum? Nam angeli nihil

Gustant

Gustant de ea, neq; Deus ipsius indiget.
Quis ergo nunc relinquitur, quis est super
Nisi uos, quorum sunt omnia facta gratia?
Deinde stultum est, & ratione omni caret,
Vobis Deum concessisse aliarum arborum
Fructus in horto, licet hi qualescunq; sint,
Et arboris uobis fructus pulcerrimæ
Interdixisse. Nam quid hoc signi foret?
Certè Deus esset uobis insensissimus,
Cum tamen & sit Deus flagrans dilectio,
Et uos, quos ipse creauit, summe diligat?
Quare, soror, cum sit nihil periculi,
Cur non comedas, mihi rationis nil subit.
Si forte aliquis in paradiso esset arborum
Fructus, tetram qui mortem fruentibus
Pareret, alius fructus foret, non istius
Arboris, en quæ arridet tibi blandissime.
An hæc ferat secum ferox mortis genus?
An iræ signum esse queat, & infortunij?
Talia uidelicet anguis narrabat mihi,
Fucosa plura, uarijs picta coloribus.
Tam dulcibus subesse uerbis quis putet
Aliquid monstri, insidias, astus, technas, dolos?
Experta nunc, experta nunc, uæ posteris,
Experta sunt premit humeros atrox iugum,
Exugit & nullas ossium dolor.
Subit tremor, miserum pavor pectus grauat,
Satanae ueneno membra corporis scatent

B

Aucto

Auersa mens Deo nunc praua cogitat,
Mentiq; recta sepe dicenti suos
Frenos uoluntas dira audacia eripit.
In nos sagittas Diabolus mittit suas,
Quocunq; uertimus pedum uestigia,
Et tota uita telis est obnoxia.
Est tota sudor, pondus, calamitas, dolor.
Subiecta morti: & heu mihi quod omnium
Grauissimum est onus, Dei iræ iudicis,
Et iusticia monente scelerum uindictis.
Ab Eua nunc sapis, quæ Satanae fraudibus
Sapere uolebas? ah meis quid posteris
Hac sapientia erit tandem pestilentius?
Adeo malum seuum est, semel uerbo Dei
Priuare cor, priuare oculos, & in aliud
Intendere alienum à summi iussu patris,
Hinc nascitur malorum sentina omnium,
In qua uolutat humanum se nunc genus.
Hæc cogito mecum, quæ causam præbui,
Caput sui, dolor ferè me conficit.
Quid? quando cogito bonum mecum Deum,
Qui nos recepit, & se lapsis non negat,
Toto perhorresco, tremoq; pectore,
Eum quòd offendi, cum sit adeo bonus.
Offendere bonos est tetrum piaculum.
Sed quid nimis maceror? Cur me nimis urgeo,
Tot nunc querelis, nec Deo placentibus?
Maceror quidem, sequi solet culpam pauor,

Surgitq;

Surgitq; factis consona conscientia,
Sed non dolore frangor incusso mihi,
Mitis Dei uox blanda summi uox patris
Nos erigit, solatur, mitigat malum,
Nobis medetur, curat ipse uulnera.
Quis non quiesceret Dei solatio?
Damnatus ille, qui Deum mendacij
Redarguit, nec ipsius uerbo fidem
Habet. Deus de me tantum auertat scelus.
Promissionibus me mihi datis leuo,
Et recreo exhausta mea membra spiritu,
Ut aridus rigatur molliter imbre ager,
Et sic medelam præbeo pauorib.
Per foeminam quod sicut irterijt salus,
Per foeminam sic sit reportanda hæc salus,
Et nasciturum sacrum semen foeminae,
Quod conterat serpentis erectum caput,
Ac reddat omnibus priora gaudia,
Amissa nunc Satanae dolis & machinis.
Hæc scilicet promissio, & solatium,
Mihî & Marito, Abelo, & Setho filijs,
Mæsti adimit omne pectoris negotium.
Nam talium Cain nihil tanti facit,
In quo locamus omnem operam, quam sumimus,
Vanam, lapisq; immotus & truncus manet,
Luditq; cum serpente familiariter.
O grande quàm malum est habere liberos,
Non obsequentes, & parentum cordibus

B 2

Qui

Qui causa sunt dolorum & fax omnis mali,
 Et de quibus concepta semel spes labitur,
 Quemadmodum Cain semper contrarius
 Mibi est, dolorumq; indies molem aggrauat.
 Hunc rebar esse primum serpentis necem,
 Pestem, malum, domatorem, atq; uindictam,
 Sememq; promissum hominibus secum ferens
 Opem, salutis denuo dans copiam.
 Sed spes in auras ista uana mihi excidit.
 Nunc ille cum serpente amicis gestibus,
 Colludit, est sceleratus, excutit mimas,
 Non uerba curat Patris, non Deum timet,
 Cuiq; fratres morigeros parentibus
 Turbas mouet, suis Abelum conterit
 Pedibus, quem amari plurimum à nobis uidet,
 Hunc uereor ille ne quando succreuerit
 Occidat additurus sceleribus scelus,
 Et excitaturus nouum malo malum.
 Nam uela uitæ qui semel dat crimini
 Regenda, raro desinit, sed strenuè
 Pergit, licere plura impune sibi ratus.
 Ah Deus Pater me audis nunc conqueri,
 Et hæc tibi commendo, cuius gratia
 Habere finem nescit, & semper precor,
 Ut ipse nostras calamitates mitiges,
 Et filios nostros regas uerbo tuo,
 Ac colligas tibi inter nos Ecclesiam,
 Quæ posteris futuris præparet uiam,

Veris

Veris colendi te parentem cultibus,
 Et ero letum mox ut matures diem,
 Quo foemina semen nobis opem ferat,
 Et readat amissam beatitudinem,
 Regnumq; serpentis, mortemq; destruat.
 Nunc ingrediar officia matris debita
 Factura, quæ placent Deo, & decorant domum.
 Sed eccum quem: Maritus est carissimus,
 Rastrum gerit culturus hoc nobis solum,
 Ouesq; pasturus, sudat laboribus,
 Et languidè senex pedes ægros trahit,
 Heu heu quibus decepta primam ansam dedi.

ACTVS PRIMISCE NA SECVNDA.

EVA. ADAM.

EV A. Adam marite. A. En Eua coniux tu quid
 hic agis foris,
 Cur tristis es? clemente nobis leti iam simus Deo.
 Tutorem, amicum & patrem qui Deum habet, habet
 omnia: nil potest
 Aduersi ei contingere, quam diu uitæ flatum trahit,
 Exantlat omnia, uictor in omnibus euadit periculis.
E. Rectè marite, & hac spe me sustento semper, alta
 men
 Meum mihi scelus obuersatur, quo te, quo me, & po-
 steros,

B 3

Conieci

Conieci in infinita damna, & quo rastro huius causa
sum.

Laboribusq; tuis fenestram primam aperui. A. Sis bono

O Eua animo, pacatam excusis conscientiam tibi

Doloribus para, hauri consolationes ex pijs

Promissionibus Dei, dolores magnos abica.

Pium quidem est, Deoq; pergratum, culpas agnoscere.

Dolere, conteri animo ob admissum nefas: sed non sat
est

Doluisse sic, dolor hic atrocis mortis seuus gustus est,

Mors ipsa, quando accrescit, & restringi facile non
potest.

Dolere precedente arripienda est Dei clementia,

Quæ maior est quam moles est infinitorum criminum.

Et hic Deo placet, qui conscientiarum uulneri

Scit addere medelam, atq; pietatem Dei considerat,

Fideq; pectus munit acquiescente in uerbo Dei.

Vincit dolorem, qui Deo credit: dolore uincitur,

Quisquis Deum mendacij arguit. Quare, carissima,

Vincas dolorem, uinci noli, uenturumq; scemine

Nunc intuere semen: Etsi ad rastros res nobis uenit,

Et uita sudat, & laborat mole, respectu tamen

Promissionum, & æternorum comodorum, quæso quid

Est hoc onus quod circumseptum certo uitæ est limite?

Præsensq; quando uita desinit, simul onus desinit.

Et uita uitæ, ueteri noua, perfecta imperfectæ subit.

Consideres hoc ô Eua, & quoniam mutari non potest,

Factum quod est, cõsilio & bonitati Dei obsequi decet,

Qui

Qui solus est animæ medicus et factum infectum reddere
Si uult, potest, quemadmodum nobiscum agit, uelut nihil
Patrarimus, ita recipit, curat, erigit, complectitur.

Vocationi nostræ instemus sedulo iussu Dei,

Faciamus illa, quæ præcepit, excolamus liberos

Doctrina, & absq; labe enormi moribus puram domum

Pergamus ædificare, & uestigia relinquere posteris,

Quibus ipsi inhereant: Deo cõmittamus nos cætera,

Quæcunq; sunt, & nobis accidunt quocunq; tempore,

Pericula, mala, casus, euentus in actionibus.

Facile Deus resarcit uno momento bonis mala,

Pensat piorum damna æternis & præsentibus bonis,

Et hos aliquando quanquam exerceri tentationibus

Sinit uarijs, tamen esse se nobis semper nouit patrem,

Et sic probat patientiam nostrã, explorat constantiam.

Beatus hoc quisquis considerat, Eua dilectissima,

Quoniam igitur Deo nostram uisum est uitam laborib.

Certis premi, uideatur & placeat idem nobis quoq;

Nec murmuremus obstrepentes aduersus iustum Deum,

Qui quæ facit nobiscum, iuste & clementer facit omnia.

Paciens Deo placet, qui spe obfirmat certa pectus suum.

E. O quàm marite magnis sum defuncta doloribus tuo

Sermone, qui solatiorum liquidis fontibus fluit,

Signabo pectori tua uerba, & excidere nunquam se-
ram.

A. Fac quod refers. Nam quæso quid esset nostra uita,
si dolor

Semper grauaret pectus? E. Si tantum, marite filius

B 4

Cain

Cain dolorum cumulos non auget nobis indies.

A. Noui, Parentum officia prestemus, quantum nos
possumus,

In liberis instituendis, successum mandemus Deo.

Magnus quidem est dolor, miseriusque est nihil, quam fi-
lios

Habere peruersos, sicut possessio est pulcherrima,

Potiorque diuitijs si cui sunt liberi domi boni,

Qui palmes ut foecundo placide oliuae cornu prouenit,

Sic propriae mensae assidentes sint parentibus decus,

Et gaudium, & deliciae, ac ornamentum uitae splendi-
dum,

Quod deserit nunquam familiam. Gratum est hoc So-
lis iubar,

Et amœna uisu sunt tranquilla æquora, uernans solum,
& fluens

Affatim aqua, & multo plures res laudibus dignissime.

Verum nihil adeo egregium, uisusque pulchrum est, quam
bonæ

Aspicere lumen sobolis, obsecundantis parentibus.

Sed quando fallimur interdum spe concepta de liberis

Et inanibus laboribus functi fuimus, non hoc scelus

Nostrum est, in ipsos transferatur potius culpa filios,

Qui noluerunt monitis obsequi aduersi fidelibus,

Ipsi dabunt poenas, non nos, modo faciamus debita

Officia, quæ Deus primum iniunxit præstanda parenti-
bus

Quicumque respondere Deo potest, sese fideliter

Vocationi

Vocationi inseruisse suæ, ceciderit seu male,

Seu bene labor, bene habet, ualetque teste conscientia.

Nos potius oremus Deum, ut suo nos spiritu adiuuet,

Et liberos nostros faciat uasa misericordiae sibi,

Et posteros omnes: E. O posteros. A. Dolores optima

Coniunx tuos feda: posteritati consultum est optime,

Dei misericordiae per semen foeminae: nullos sinet

Perire, qui uolent, & ut nos experimur gratiam

Dei patris fouentis nos, & uisus gestantis suis,

Sic posteri fide apprehendent eandem gratiam Dei.

E. Enascitur dolor dolore, & una consolatio,

Quam tu marite profers, enatos compefcit denuo

Omnes dolores. O marite anime mi, cor meum, & quies.

A. Nunc rus abibo, nec diu hinc abero. Nam cras Deo
offeram

Sacrum, eligamque iam ex grege uictimam Interea natos
laua,

Vt ad sacrificium parati intersint concionibus,

Et corporibus mundis exhibeant mundos motus pecto-
rum,

A singulis repose doctrinae capita, ut respondeant

Interrogati questionibus meis. E. Hæc sedulo

Faciam marite. Mox, queso, redi absque te uita est mihi

Acerba, & offerunt se cogitationes quæ tuis

Verbis recedunt pulse. A. Animum recipe, non hinc ero
diu.

B 5

Actus

ACTVS PRIMISCE
NA TERTIA.

A D A M.

Quam mitis est Deus, suamq; testatur
Clementiam in omnibus creaturis nobis,
Et in hoc potissimum, quod in hac nostra aetate
Et solitudine totius prima mundi
Iungi uoluit ærumnose consortes
Vite, marem atq; feminam, socios nostri
Fidos oneris, ut alter alterum uerbis
Et re inuuet, soletur, & placide tractet.
Coniunx grauibus doloribus contabescit,
Meum est solari eam, quantum modo possum,
Nam languidum femina, nimisq; ægrum uas est,
Et à marito molliter suo debet
Tractari & excipi. Mihi quoq; obuersantur
Semper dolores, quando nostros agnosco
Neuos uidens Satanae furores, & fraudes,
Structis ad hoc quibus impetit genus humanum,
Et lingua nulla meos dolores efferre
Potest, licet sua uerba conferant omnes.
Sed non necesse est coniugis doloribus
Addi meos dolores, ignem igni iungi.
Prudens maritus, ipse quamuis fert mala,
Tamen ferenti mala maritæ fert opem,
Solatur, & dissimulat, ac si nil mali

Pateretur

Pateretur ipse, tantum at ipsius arduos
Sanet dolores. Sic marita uirtute,
Ornata idem facit, maritum si uidet
Dolore confectum, accedit & abstersura
Velut malum, erigit, obsecratq; & recreat.
Connubium ô scelix, cuius status est talis,
In quo nitet mutua recreatio animorum.
Vtinamq; posteris exemplum possemus
Prescribere sic uiuendi unanimi consensu,
Quamuis sciam diabolum & hic suum uirus
Aspersurum generi humano, Sed nunc eo,
Nostros lauabit interea coniunx natos.

ODE. DIMETRI
Iambici.

Ἡ ΜΙΧΟΡΙΟΝ. PSAL. 149.

Cantate carmen nunc Deo,
In hoc Choro sancto & pio,
Carmen nouum, laudes nouas
Docete linguas uiuidas.

Ἡ Μ.

O Israël gaude tuo
Autore, qui uitam suo

Operi

Operi dedit: tantum tibi
Gaude ô Sion regem dari.

ñm.

Laudent Dei nomen boni.
Ducant choreas optimi,
Deum canant psalteria,
Cytharæ, tubæq; & tympana.

ñm.

Nam mitis est uere Deus
Clemens pater, tutor bonus,
Miseros leuat de stercore,
Amat pios è pectore.

ñm.

Sancti triumphent, & canant,
Suisq; thalamis conferant
Lætos sonos, & candida
Nectant ubiq; carmina.

ñm.

Guttur piorum prædicet
Deum, & per altum subleuet,
Manu

Manu pñ ferant sua
Gladios acres ad prælia.

ñm.

Vt uindicent in gentibus
Et puniant in partibus
Orbis malos idolatras,
Et contumaces satrapas.

ñm.

Vt regibus fera uincula
Parent, & his crudelia
Brachia doment, & nobiles
Crassas serant ad compedes.

ñm.

Vt ius, quod est scriptum, piẽ
Præstent malis, & optime
Verum decus sancti petant,
Et gloriæ nomen gerant.

CHORVS.

Vni Dei sit gloria,
Trino Deo sit gratia

Deo

Deo patri, atq; filio,
Cum Spiritu sancto suo.

AMEN.

ACTVS SECVNDI
SCENA I.

EVA. CAIN.

Apparavi, uasa collegi, lauabo
Filios, & instruam lotos ad sacrum.
Nunc uocabo Cain, ut legat mihi ligna.
Oportune egreditur, uultum quam conuertit. CAIN.
Nil agunt isti intus in domo scelesti,
Nisi quod orant & lectionibus incumbunt,
Eleuant manus, & cogitationes
Quam profundas mittunt ad Olympum, dant uerba
Inuicem, docent se mutuo, atq; hæc illa
Narrant, bile nigra stomachantur, non unquam
Se applicant ad humanos mores, & uitam.
Quid monachatus iste uult? ego ne sic uiuam?
Auertant Dij, dicat pater quæcumq;
More degere humano letos est uita.
Qui senes iuuenis imitatur, atq; effingit,
Hui senex fit, & canus cito. Est insanus
Qui parentibus se totum dat regendum,
Quorum uita iuuenis esse nunc cessauit

Et cæ

Et caput dies caluauit. E. Ah quid narrat,
Quam mirabiles gestus & mores edit,
Preceptore serpente usus C. certe quisq;
Cum iuuentute sua pugnat, atq; ætatis
Flore, qui impetus non sequitur iam uernantis
Animi, senibus placeat, uel non, res est certa.
Sunt gradus uitæ, suosq; mores quisq;
Proprios secum trahit, puer letatur
Consuetudine sua, iuuenisq; sua gaudet,
Et senex suum maiorum uitæ inheret,
Quando nunc est impotens factus, pertesit
Gaudiorum uitæ, languidusq; & curtus,
Et silicernium. Deinde iuuenes culpat,
Fert molestè, quando indulgent genio, sicut
Nunc pater meus sacerdotes uult esse
Nos omnes, & mortuos uitæ. Et quæ narrat
Nescio de pœnis grandibus si quis sit,
Aliter qui uelit uiuere, quam sicut mandat.
Sic senum mores sunt, ad quos nos oportet
Conniuere, qui quæ uita sit uidemus.
Est morosa senectus, anxia, & pertristis,
Vitæ hyems, uespera noctem inducens deformem.
Sic ego statuo, uitam uentri debere
Inseruire, edendum esse, bibendum, siccanda
Pocula, quod lubet faciendum, dum ætas uiua
Hoc concedit. Hic qui se negligit, & uitam
Non exhilarat, partem omnem uitæ neglexit.
Vna sepe currit hora, quæ decerpit

Flores

Flores uitae, quibus uti prius debet,
Tunc actum est: Voluptas illa non succedit.
Agrestes sedent melancolici, et iuorum
Faciunt iussa senam. Io, io, io, Abco letus
Ne uocet me mater, dum resisto. E. Cain,
Cain, huc ueni, redi, mane. C. quis, quae, quod?
En in fabula lupus. Forte anus audivit,
Quae locutus sum. Quasi non uiderem, pergam.
E. Cain, audis Cain? C. Inuerecunda sepe
Efficit uox, ut praestetur non praestandum.
Quis uocat me? E. Cain. C. Cain hic est, ecce
quisquis es. E. Quae respice. C. Respice tu. E. Cain
Huc ueni. C. Veni. Est idem spacium ad me eundi,
Quo tibi ad te, quisquis es. E. Veni. C. Imperiis
Satis. E. Huc ad matrem uenias. C. Et quis est tu mater?
E. Mi fili ueni. Noli nimium esse effrenis,
Et parentum cumulare dolores: et pondus
Ponderi imponere. C. Quid? Dic, moram ne forte
Faciam. Nam nocet mora, quando est iam conclusum.
Ut domi me seruet, scio, mihi mandabit
Quisquam. Obsequar? Non. In domo sunt intus,
Quorum opera potest uti. E. Quid murmurare
Cain audes? mi Cain, mane, te obsecro
Voce materna. C. Stultum est mutare uelle
Conceptum semel consilium. Non hoc possum.
E. Quo nam pergis? Audi, mi fili, quod dicam,
Nam manere te domi decet, sic iussit
C. Quis? E. Pater. C. Quem. E. te. C. Non hercle,
Non per solem. E. Ab

E. Ah quid nominas? C. Maneam? quid quae so agendum

Mihi erit? E. Cras erit festus dies, lauabo
Filiis, et instruam doctrina. C. oh, hoc ne?
Magna res hercle. Ioui quid prodest noster
Cultus? E. Quem Iouem refers? Ah dolor summe,
Qui necas cor. In nostram domum te ligna
Ferre nunc uelim, quo laueris tu primus.
C. Nuncium quale hoc? laboribus num natus
Ego sum? Qui laboribus letatur, pace
His mea letetur, non est gratus magnus
Labor. E. Ah ah quid solus tecum? Vis ne Cain?
C. Si meum est uelle et nolle, nunc est conclusum.
E. Vis? te oportet. C. scilicet. E. pium est parere,
Cum parentes quid iubent, Deus hoc requirit.
C. Etiam sanctimonie nomine suadere
Conatur. Non possum certe. E. certe oportet.
C. Seruitus est dura, quae coacta seruit.
Ut scias mater praeter ceteris natus sum
Grandior, iuris proprii tandem factus,
Illos tu iube, si quid uelis curatum.
Egreditur Abel, huic iniunge. E. Te, non illum,
Mihi uolo. C. Sed te mihi nolo. E. quid ais? perge.
C. Ad meos pergam, ubi erit melius mihi. E. non pergis?
Te para. C. Quam inexpugnabile animal est omnis
Mulier. Si Deum aliquis mulierem formauit,
Se opificem malorum maximorum credat

C Esse.

Esse, inimicum hominibus. Odi genus muliebre.
 E. An non pergis? quid resultas, quid resistis?
 Perge Cain. C. Admiror Iouem, cur tantam
 Pestem hominibus in lucem statuit? Nam si humanum
 Producere uolebat genus, haud producendum
 Ex mulieribus erat. E. Ah Cain cur moraris?
 C. Blanda nunc est. Non adducor: Mulier omnis
 Metuenda est uehementer, cum benigna uerba
 Profert. E. Quam difficile est naturam distortam
 Flectere. Et quid misera faciam? Cain. C. Dico.
 Illi manda pessimo: quoties hoc dicam?
 E. Pessimo? quem si uocas? C. commoui tandem.
 Pessimo illi. Oh quem aliquando mihi cupio. E V. Num
 ne
 Nunc minas seris? C. Non maneo, non expecto
 Verbera. Multo est deterius animum, quam canes
 Iritare. Non effugere melius possum.
 Vbi sunt mulieres, ibi aceruus est malorum.

ACTVS SECVNDI
 SCENA II.

EVA. ABEL.

Est ne uspiam, aut unquam futura est tam nimis
 Afflicta mater hoc sub sole totius
 Mundi, uelut ego sum. Non ulla meos potest
 Dolores lingua uerbis ullis consequi.
 O discite parentes uestros, o filij,

Colere.

Colere. Patrem quisquis timet, uitam excolit,
 Diuq; uiuit, raro damnum comperit,
 Et uiuus & defunctus est carus Deo.
 Amate matrem o liberi, non est amor
 Huiusmodi ullus, & qui ametur suauius.
 Probi ne diuina quidem matri praeferunt.
 Considerat Deus hoc, qui iura patria
 Colunt, & negligunt prae animi impudentia,
 Iratus his indignatur iustus Deus,
 Nam sunt parentum furiae uehementes nimis.
 Illis sed est benignus, & mitis Deus,
 Largitur omnia bona, mittit angelos,
 Custodia quorum tutas eant uias.
 Matres meo nunc uos discite periculo,
 Patienter ferre clades, quas dant liberi,
 Quando uobis incutiunt uasta pondera
 Dolorum, quibus omnis animi uirtus perit,
 Et consternamini. AB. Mea mater oro te,
 Quo filius matrem ore obtestari potest,
 Et debet reuerenter, pacata sis, Deus
 Cain scelus non patietur, sed puniet,
 Qui cuncta quae fiunt, uidet, probat bona,
 Mala punit, in primis scelestos liberos.
 EV. O care fili, mel gratum cordis mei,
 Matri graue est uidere poenas filij,
 Quem nutrit, gestauit uentre, & candido
 Eduxit lacte, quod cordis secum extrahit
 Suauia. AB. Graue est certe mater, quamulus nimis

C 2

Intelli-

Intelligunt nati, parentum quàm dolor
Magnus sit. Attamen si quis sanabilis
Non est, & obsequi sibi soli studet,
Parentes non ueritus, qui magnum sunt probis
Numen, rectè ille poenas, quas statuit Deus,
Subit. Sed ô mater mihi iniungas uelim,
Quod uis fieri. Nam magnum est filio decus
Matris facere mandata. Ego semper gaudeo,
Quoties mihi quid à meis parentibus
Imponitur. EV. loqueris ut filium decet.
Quod alter adimit bonum, alter adijcit
Mibi filius. Sic est Dei clementia
Manifesta etiam in hoc, fitq; compensatio
Doloris. Ergo Abele animule mi, legas
Ligna in domum ad lauandum uos in crastinum
Diem, quo pater offeret sacrificium Deo. AB.
Libenter & ex animo præstabo mater hoc,
Nam scio me cultum facere Deo gratissimum,
Parentum quando iussis pareo, res licet
Sit parua, uel momenti sæpe nullius.
Deus probat pietatem, & corda perspicit.
Abeo.

ACTVS SECVNDI
SCENA III.

EVA.

Hic reddidit animum nunc filius mihi carissimus.
O quàm nihil est homini uerè fidum, præter pro-
lem suam, Quando

Quando bona est, opibus tum præstat omnibus. O
quàm, filij,
Magnum estis maternæ menti philtum, uoluptas, gra-
tia.
Sed quando proles degenerat, calamitas certè extrema
ea est.
Vtrunq; sælix & misera ego experta sum.
Sunt filij probi, quos cum aspicio, mihi
Abeft dolor, subit letitia pectori
Iucunda. Sunt quoq; filij prorsus prioribus bonis
Contraria natura filijs, quos horresco uidens.
Sic quantum me dolor premit, tantum leuat
Vultus piorum filiorum: tum dolor
Rursus premit tantum, quantum me gaudium
Leuat. In me talis est semper mutatio.
Sed ingrediar, donec reuertatur Abel, quem non hinc
diu
Remansurum esse noui. Nam iassa exequitur, quantum
potest,
Et diligenter & cito, sicut decet natos probos.

ODE. EX TERTIO
Cap. Syracidæ.

ἤμιχο.

Filij dulces obedire fas est
Patribus uestris, decet his honorē
C 3 Dedi-

Dedicari, si modo uultis æuum
Degere foelix.

¶

Nam Deus iudex iubet esse natos
Ipse subiectos patribus, iubetq̃
Iussa matrum mitia sustinere
Pectore prompto.

¶

Qui colit patrem, Deus est amicus.
Ipsius nec crimina, quæ patrauit,
Punit, Et matrem ueneratus, iram
Vitat atrocem.

¶

Qui colit matrem, legit ille magnum
Inde thesaurum sibi. Quiq̃ patrem
Seruat, eductis bona multa natis
Cernet adesse.

¶

Qui colit patrem, Deus audit illum,
Quando fundit uota: diuq̃ uitam
Seruat

Seruat & læto sua quoq̃ uertit
Lumina uultu.

¶

Qui Deum propter solet esse matri
Subditus, mater colit hunc, & ipsa
Inde solatur sua pressa certo
Corda dolore.

¶

Qui Deū obseruat, timet, et ueretur,
Is timet, seruatq̃ suum parentem,
Et ministrat, præstat & illi honorem
Suplice gestu.

¶

Sermo patris tecta parata condit
Filijs, gazas, bona summa, quando
Sermo de miti uenit ille mente
Extruit ædes.

¶

Sermo matris diruit alta tecta,
Quando succenset, male uultq̃ nato,
C 4 Filij

Filij intruduntur in atra damna
Matre uolente.

¶

Ne patri illudas, licet ipse næuis
Forte sit plenus; tibi nullus ille
Est honor, patrem coluisse uera est
Gloria nato.

¶

Quando matrē spernis, et huic preca
Dira, te curas male, teq; magnis (ris
Ingeris damnis, tibi crimen ipsi
Grandius inferis.

¶

Care fili, si sapis, omne patri
Nunc seni præsta officium, nec unq;
Quam diu uiuit, fac ei dolores
Corde molesto.

¶

Si puer fit, languidus, æger, orbis,
Non molestè perfer, & ipse quanq;
Doctior

Doctior sis, non tamen esse maior
Patre labores.

¶

Qui facit patri bene semper ille
Floret, et nunq; deus hunc relinquit
Semper acquirit bona, sepè quamuis
Crimina patret.

¶

Quando multis opprimeris periclis,
Qui colis patrem, satis inde tutus
A periclis esse potes, nec ulla
Clade moueris.

¶

Qui colis patrem, tibi quæ patraſti
Defluunt peccata, uelut soluta,
Sole uentosas glacies in nitente
Cedit in auras.

¶

Negligens patrem uiciatur ipse,
A Deo non diligitur. suamq;

C 5

Negli-

Negligens matrem, sibi dira coeli
Verba precatur.

ἦμ.

Care fili toto cole corde patrem,
Et recorderis grauidi doloris
Quando te duro peperit labore
Candida mater.

ἦμ.

Cogita te ducere uitam ab ipsis,
Cogita quid reddere quæso possis
Pro bonis tantis, tibi quæ dedere
Mente fideli?

CHORVS.

Quæ docent te uoce pia parentes
Diligenter pectore claude fido.
Assidebis tunc Dominis uerendis
Ipse uerendus.

ACTVS TERTII
SCENA I.

CAIN. ESAU. HAM.

Euolui

EVolui me tandem impositis laboribus,
Quos iniungebat mater. Hos quisquis potest
Avertere, & non auertit, stultè facit
Sibi male consulens. Nunc me sodalibus
Iungam meis. En oportune hinc obuiam
Occurrunt, Saluetote, uos quero. E. Bene est nam te
quoq;
Volumus, Sed unde? C. Audite queso, cultibus sese mei,
Velut res nota est, plurimis parentes affligunt nimis.
Et proximi Deo tristem student uitam traducere
Superstitiosi, nec quiescunt se macerantes, sed suos
Adigunt etiam natos ad nenas similes. HAM. Quid
hoc sibi?

CAIN. Cum mane cras nitens aurora fulserit,
Suo ferens ortu diem mortalibus
Domi parentes (nam cibus sunt omnia
Instructa) balantumq; cæsa corpora
Volunt offerre, res est stulta, Victimæ:
Ut ligna montibus sum iussus colligam
Ad usus sacrorum pro more patrio
Receptos, imperata nolui exequi.
Oues innoxias à matris ubere
Lactantis abstrahunt, & aris destinant
Agmen mei subinde decrescit gregis.
Quis ferret intuens hæc æquis mentibus?
Religio qualis est? putatis coelitem
Datis placari posse numen hostijs?
Habemus quicquid extitisse iudico

Dulcis

Dulcis uoluptatis, uel uentris gratia.
Ad quod natura sponte fertur impetu
Rei cuiusq; finis : sic ego sentio.
Ut alueus secum præceps ratem rapit,
Remissis brachijs aduerso flumine:
Sic quisq; raptus illecebras expetit,
Honesto difficulter mens obtemperat.
Durum uirtutis inuenire tramitem
Periculosum, nemo legum uinculis
Se uult regi, placet libertas omnibus.
Hac ergo nos iuuenes fruamur, ultimus
Beatitude uoluptas finis est.
E S A V: Tuæ libenter suffragor sententiæ,
Implere pingui carne uentris uiscera,
Hoc esse uitæ summum existimo bonum.
Edamus, ac exhauriamus pocula
Olentis uini, cui diu comparcimus,
Adhuc superstites bonis præsentibus
Fruamur indulgentes læti luxui,
Post fata mortis non erit foelicitas,
Cessabit gaudium gulæ, conuiuia,
Inane fiet corpus esca uermibus,
Nec ut profani uulgi fert opinio,
Petet domos polorum uiuens spiritus :
Nam scimus interire sensus mortuis,
Ceu fumus in leuem uanescit aërem.
Regnare dicunt nescio quos, æthere
Deos, quorum de nutu cuncta pendeant,

Iniquæ

Iniquæ uitæ cædiumq; uindices :
Graues profecto mi Caim poenas lues,
Cum sis tuis contrarius parentibus,
Et non colas quem proponunt tibi Deum,
Caueto ne ruat super te cœli moles pondere,
Et opprimat, non fas potentibus dijs illudere,
Procul ferire possunt arcu filios mortalium,
In abditis absconde te, ne mox tangaris, angulis.
CA. Ah anxius quàm sum ne corpus tela ledant fulmi-
nis.
Dijs relinquam regna, nil curo quid cœlites agant,
Modò mihi non sint molesti, lucra forsân auferent,
Si irati membra læserint, non tale quicquam somnient :
Velut mordendo non lethale musca uulnus efficit,
Ita nihil strepentium soni nocent tonitruum.
Punit mens illa quos uult, adiuuat quos eligit sibi,
Imo quæ nunc ago, iubent, cogunt, inuitum me tra-
hunt,
Quod sponte præsto, sponte iniungunt, & uires mihi
mouent,
Quod sponte non facio, facio tamen, sunt autores mihi
Superi, si quos cœlum modo continet, Nam cuncta sen-
tio
Fieri legibus immotis, & necessitate robora
Tenere docta. Nil facit uoluntas, cuncta perficit,
Seu mala, seu bona sint, ille, quem fatentur, & quem,
animus meus
(Eloquor etenim uobis quod tandem sentio, tacitè licet)

Testa.

Testatur esse, & nutu cuncta dirigere suo. Quid est
Velle meum, nulla uoluntatis ratio est, affectus est ni-
hil,

Conatus est nihil. Quos Iuppiter saluos fieri cupit,
Illos trahit, suo iudicio deligit, nolint licet,
Velint licet, trunci & lapides cœli respectu nos sumus.
Idem quos uult damnari, simpliciter dempto discrimine
Stygijs committit umbris, faciant quamuis quod queant
modo,

Velint quodcunq; uelint, optent meliora, salutis inuo-
cent

Opem, nihil est, nihil efficiunt, inuiti pereunt & la-
bant,

Coacti conscendunt sydera salui, coactos mergier
Damnati se uident paludibus crudæ immerito picis.
Arbitrio regit nec mores nec uitam ullus libero.
Faciamus ergo quod uoluptas indit. Hæc diuinitus
Sic inditar. Neceſſitas regit, terris quodcunq; fit,
Mouet furores, sistit hos, belli pacisq; ea autor est,
Nullo mouendus ferro aut igne, Si quod feceris malum,
Fato imputes, si quid boni est, reſerues, te numen mo-
uet.

Nil ergo uereamur, Deus nobis nunc omnia suggerit,
Voluptas uita est, huius esse autorem Deum nostri ca-
nunt.

Et ut uerum fatear, uidetur curæ non adeo Deo
Esse homines. E. Hoc certe statuo, dicant parentes que
uelint,

Potentiam

Potentiam cœlis exercet, & non dormit omnibus.
Si prouidentia est, Deus certos suo inscripsit libro,
Et in Catalogo, quos cœlo dignatur, signatos habet.
Et è diuerso quos uult opprimi perpetuo carcere
Eidem commisit libro. Sic nec persone detrahi,
Vel addi utriq; possunt, donec mundi durat machina,
Nec numerus mutari potest. Certis stant legibus omnia.
Et si quid prouidentia est, neceſſitas est, nil magis.
Heus Ham procul discedis, huc cito consiste, te uolo.
Tu rure conuersatus es mecum iam longo tempore,
Tibi uidetur quid? curæ ne sunt humana numinum
Cuidam, de Deo quid sentias expone, cur taces?
HAM. Mei si scire uis causam silentij
Hæc est, nihil plane de prouidentia
Affirmo, mens incerta semper fluctuat
Opinione, quis regat pulcerrimam
Hanc mundi machinam cœliq; circulos
Videns humanarum uicissitudines
Rerum, calamitatibus boni asperis
Premuntur, omnibusq; sunt ludibrio,
Opes malorum turba multas possidet:
Inter pios & impios discriminis,
Potest quid esse? cum casu immutabili
Feratur mundus, mens si æterna conditrix
Gubernaret, tunc certos legis ordines
Imponeret, non esset hæc confusio.
Mihî parens inculcauit sepiſſime
Dei præcepta, cum parere nolui,

Taxanit,

Taxauit, uirgis sepe corripuit nates,
 Oh nunc adhuc doleo mecum ista cogitans.
 E S. Confide, quid frustra moerore tristi corda conficis,
 Aduersi quicquid accidit ferendum fortibus uiris.
 Sed tamen ut referam quod reuera sentio dicam tibi,
 Remotis in locis æui malo uitam traducere
 In ocio, quàm conuersari cum meis parentibus.
 Libertas hinc datur nobis uiuendi pro libidine,
 Domi uix egredi permittebatur ante ianuam,
 Precationibus cogebam interesse, murmuri
 Inani, sepe mater me monens præcepit talia:
 Deum timere disce maximum fili charissime,
 Et illius sequi mandata, sic quæcunq; mens cupit
 Habebis, hic enim euentus rerum gubernat omnium,
 Bonis largitur optima, malos dignis pœnis afficit.
 H A M. Dixit ne mater hoc? nostræ certè est nescia
 sententiæ,
 Quæ uerior est. E S. sic dixit. H A M. Ah quis error
 mentes fascinat.
 Sed nunc sinamus istas, quid enim est queso? fabulas.
 E S. Adeste, tempus hinc eundi, uisitemus prata nunc.
 C A I N. Abite, quid diu statis, sequar pedum uestigia.

ACTVS TERTII

SCENA II.

ABEL. SETH.

Satis

Satis lignorum habeo, domum quæ defram,
 Quàm magno est nunc crastina dies mihi gaudio,
 Letor, quoties Deo cultus fit. Hinc mei
 Exultant artus, exultat mens languida,
 Et inde confirmor promissionibus,
 Quæ testantur clementem & propiciam Deum
 Nobis fauere, nos curare, & mitibus
 Vlnis complecti. Fœlix qui considerat
 Dei pietatem, & gratiam. Infœlix homo,
 Qui uel eam non curat, uel dubitat perdit.
 Nunc ibo ad matrem, cuius nomen est mei
 Refrigerium animi, ne sim in mora. Ostium
 Quis aperit? An Seth est? Est. Frater ostium
 Relinque apertum. SE. Num redis Abel? A B. Quid
 est
 Tibi negotij extra ades? SE. Matri affero
 Hac olla aquam. AB. quid agit queso? SE. Venit do-
 mum
 Dolore plena, & pertinaciam mihi
 Retulit, qua Cain usus est nefarie.
 AB. Quàm magnus est dolor sapienti filio
 Matris suæ dolor. SE. Sic est frater, domi
 Multas effudi guttas lacrymarum, sciens,
 Mater quibus doloribus obruta sit nimis.
 AB. Deus leuet mole hac eam. Sed queso te,
 Nos ne lauabit fratre absente? SE. Sic ait.
 AB. At quid pater, quando redierit? SE. Quid? nihil.
 A. Dolorè addet dolori. S. Certum est. A. Ah, mihi
 D frater

Frater uelim credas, si possem maximum
Pondus dolorum, qui ueniunt parentibus,
Imponere meis humeris, quàm facerem libens.
Iuuenis sum, forte possem ferre leuius,
Deo adiutore, quàm senes. S E. O si tuum
Votum succederet, meum etiam adiungerem.
Sed non potest fieri, Proprium onus singuli
Ferunt suum, patienter ut nostri ferant
Parentes, ut faciunt, & possint placidius
Exantlare malum, oremus clementem Deum.
Sed nunc, quid si tacitè nostrum alter quereret,
Num reperiri Cain queat, & duci domum
Ut & ipse aris sistendus lauetur prius,
Quam uelut porcus ad sacrificium Dei
Veniat? Nam externo corporis habitu exerant
Interni sese motus pectoris. AB. Tuum
Probatur consilium. Sed uereor rursus hoc,
Si quesiero, me obsecrantem non audiet,
Instantem pugnis remouebit, sicut solet,
Ego nil effecero, perdidero omnem operam miser.
S E. Non sic frater. Queram ipse, forsitan mihi
Succedet. Nam scio, quanquam nos oderit
Ambos uehementer, attamen collatio
Si fiat, inuisus tu es ei magis, quàm ego.
AB. Tamen tibi constat, cum mihi crebro necem
Mimatum extremam. S E. Constat. Sed mime nihil.
Qui non potest malefacere quando uult, mimas
Profert & lingua uirium loco utitur,

Hæc

Hæc uult terrere timidus. A B. Certe non mihi
Tàm timeo, quàm quod adeo parentes languidos
Blasphemijs, & criminationibus,
Latratu, iniurijs, offensionibus,
Et id genus malis, quæ quis dicere nequit,
Exurit, & cruciat, & enecat. Nihil meos
Scio dolores facturos esse negotij,
Quamuis sint magni, si parentum pregrauis
Remitteretur cura, dolorq; paululum.
Doloris parua remissio est magnum bonum,
Quod animi inclumantis subinde perditas
Restituit uires, & cadentes eleuat.
At oro Deam, ut parentibus robur sua
Bonitate conferat. Melius remedium
Ignoro. Homini quando prestat uires Deus,
Nihil accidere potest, quod ipsum uincere
Queat uictor quin ille palmam preferat.
S E. Dicis uerissima. His armis omnes dolos,
Et machinas frangemus, mitigabimus
Mala multa parentibus, Deo nostras preces
Exaudiente. A B. Sed in ædes tempus iubet,
Ut conferamus nos, & portemus domum,
Mater quæ iussit, deinde hoc confecto, potes
Querere nostrum fratrem. S E. Placet. Nam sic decet
Alijs relictis, primum quod fieri decet,
Efficere, & huic adiungere, quod potuit opus
Differri. Verum exit mater nostri gerens
Curam, & sollicita, quesitura forte nos.

D 2

ACTVS

BIBLIOTHEK
WOLFENBÜTTEL

856 Theol. (6)

Fortsetzung

7

7777

ACTVS TERTII

SCENA III.

EVA. ABEL. SETH.

Quid contigisse filijs misera putem,
 Quod non reuertuntur? Fortasse iniuriam
 A Cam perfido passi. AB. En nunc adsumus
 Mater. EVA. Letor dulces ô filij, quid est?
 Quæ uos retardauit, dicite mihi, mora?
 Materna cura de uestra salute erat,
 Quæ cor meum reficit. AB. Fatemur libere,
 Peccasse nos. Nihil nobis rei obstitit.
 Sed cura de parentum miserorum cruce,
 Patris, tuâq; uarijs expressit modis
 Tristes querelas, His tempus produximus.
 Sic est mater, Veniam errati petimus. EV. Mihi
 Tamen dolor obortus erat. Verum ô filij
 Vestras remittite querelas. Nil his opus,
 In hac ætate, quæ flos uitæ est optime.
 Orate uos potius Deum, instate precibus,
 Quæ quod querelæ non faciunt, facere solent.
 Auget querela malum, quod mitigant preces.
 Sed isthæc intro auferte nunc, ô filij,
 Nam postulat tempus lauari uos, patris
 Iussu. Moram facere in his, quæ pater iubet,
 Est coniugis probum, & natorum dedecus.
 Incredimini. Statim sequar.

Actus

ACTVS TERTII

SCENA IIII.

EVA. SETH.

Sed an lauem natos, absente Caim natu maximo?
 Quale dederò meo marito responsum, quando ue-
 niet?
 Hunc sollicitabo curis, filij indicans tetrum scelus?
 Id num faciam? priusquam egam, rem desperatam de-
 nuo
 Aggrediar, inquiri curabo, forte uenerit. Decet,
 Qui recte uult rebus præesse, nunc iacentes sæpius
 Res in manus rursus sumere. Seth ô fili egredere, ueni.
 SE. Me ne uocas mater, quid est? adsum, quid uis, mihi
 præcipe.
 EV. Mi fili, abi quæsiturus fratrem, atq; uerbis lenibus
 Si deprehenderis, domum adduc. SE. Parebo, &
 promptus id agam,
 Et indagabo ubiq; Nec celabo te, mater, prius
 Reuersi quàm domum sumus, consilij ambo hoc iniui-
 mus,
 Ut alteruter nostrum curam ipsum querendi sibi sume-
 ret,
 Id iussu nunc tuo alacriori animo exequar. EV. Non
 hæc probo
 Nec id probassem, si me non consulta hoc egisses. De-
 cet

D 3

Audire

Audire parentum consilia etiam in minimis. SE. Veniam tamen

Mater dabis. Nam certe propter te hoc nobis animo fuit.

E V. Tantum mi fili pergito, & cito redi. profecto ita est,

Quæ foemina matris officio recte & dextre fungi uolet,
Ad multa filiorum conuiuere errata cogitur.

Sed quæ mater non hoc lubens faciat, si filios probos
Cætera habeat? Errent crebro, faciant imprudenter
plurima,

Tamen miserta illorum mater placidè tolerat. Sic mihi est,

Cui filij duo obtigerunt ex optato, coelitus
Dati. Hi si quando oberrant, non me furere iustum est,
uiam

Potius ostendo recte agendi uno saltem uerbo. Dolent
Audita me, culpamq; deprecantur, & se corrigant.

Hæc gratia est Dei. O Dei pietatem inenarrabilem,
Non unquam istius immemor ero. Nunc quid intus in
edibus

Abel gerat rerum uidebo, operam ut det lectionibus,
Donec Seth redeat.

ACTVS TERTII SCENÆ NA QVINTA.

SETH. CAIN. ESAV. HAM.

An

AN inuenire nusquam fratrem licet? & quilibet
negat

Vidisse. Quid agam cogito. Nescio quid profecto animus mihi

Mali præfagit. Ah parentes, ah parentum nunc dolor
Immensus, acris, ossa medullis exiccans. CA.

Dic qui placet,

Recreatio uirium quæ curas & sollicitudines
Abigit, eximit animis nostris metus, hilaritatis est
Inductrix, sit mens leta, frons hilaris, sermo lepidus.

E S. Probe.

Hominiis foelicitatem luxu iuncta uoluptas terminat,
Rugas relinquamus senibus morosis, & parentibus
Et exuamus ante nostrum limen protinus omnia,
Quæcunq; dolorem inducunt. Vita risus est diæterium,
Facietiarum teca, scommatum atq; salis operculum,
Finitis his uoluptas expectanda non unquam uenit.

Exporrigamus frontem, homunculos bellos agamus, &
Affatim rideamus, curemus cutem, genialiter
Teramus tempus, faciamus uultum bonum. Superi quid
hæc

Vident, uel etsi forsitan uident, quid curant? HAM.
sic ego

Pedibus tuam in sententiam eo promptus. C. Nunquam
profecto idem

Negauit, sic etenim experior rem sese habere. S. ô pondera

Dolorum, se quibus parentes oneratos ab sentiunt

D 4

H 16

Hac solitudine atq; Cain fratris contumacia
Mei. CAIN. Quis hic loquitur? uideor agnoscere uo-
cem. Seth adest.

Foras meum uideo elatum peccatum. Sed quid hoc
obest?

E S. Sat est abibo. S E. Eccum. H A. Vocari te uideo
Cain domum,

Habes, abi. CA. Quid tum? molestia parua tamen fer-
ri potest,

Religio est, sacris aris assistere iubebor. S E. An dolor
Maior potest dici, quam quem Cain parentibus parit:

An dedecus maius potest dici, quam quod generi suo
Inurit? ô beatos hos parentes qui non talibus

Grauantur filijs: Et ô beatos filios, quibus
Non esse tales contigit fratres. CA. Quid solus mus-
fitas?

Dic unde prodis? quid queris? S E. Bona uerba frater
optime,

Ex ædibus nostris te reuocaturus uenio. C. Quid faciam
domi? S E.

Cras grati sistemur Deo. CA. Intelligo, scio, nos ob-
ruunt

Relligionibus, & Relligiosiores, quam etatem decet,

Reddere uolunt nos. S E. Imo nullam etatem pietas
non decet.

CA. Si religiosus cupiam esse, à consortio humano mi-
ser,

Me se

Me segregabo, non uiuam more hominum, me mihi
inijci

Vestes alias, cucullam, uel quid aliud admirabile,
Docebo. S E. Idem facerem, si quantum affert coloris
uestium

Tale genus, tantundem pietatis afferret. CA. Nihil est
tamen,

Actas consideranda est. Verbum hoc certè uerum est
& uetus,

Angelici pueri in Satanam uertuntur, postquam con-
senuerint.

SE. Verbum hoc ab autore Satana potius natum arbi-
tror. Scio

Et uera conscientia dico, uix esse senem pium,

Nisi qui à teneris assueuerit annis. Nil unquam foelicius
Percipitur, quam quod ab ipsa discitur pueritia statim.

C. Quid est religio? S. Queris audiens quotidie hoc
in domo

Nostra inculcari nobis à carissimis parentibus,

Est purus numinis ueri cultus, & obseruatio

Preceptorum illius. C. Ne concionatorem te probum

Præstas. Hodie, dic, ieiunabimus? S. Lauabimur prius.

C. Sed tandem? S. Quid ni? C. dij dij. Fatuitas est
illa corporis,

Valetudini nocens. S. Quid talia cogitas, piè decet

Sentire & loqui. C. Certe. S. Nunc mecum redeas
frater domum.

Abelus forte iam lauabitur. C. Sequar tandem, tace.

D 5

ACTVS

ACTVS TERTII SCENAE
NA SEXTA.

EVA. SETH. CAIN.

Miseram me, uereor ne Seth durius acceptus nimis
siet,
Si deprehendit fratrem, tam diu hinc abest. Sed en re-
dit.
Redis Seth? quam magno dolore me leuas. SE. Redeo.
EV. Diu
Hinc abfuiſti, hæc res est, propter quam in mœrore mi-
sera eram.
SE. O mater, culpa in me non sita erat. EV. Com-
munis pestis fuit
Fortasse, & corruptela obſtitit? An hunc deprehendi-
ſti uſpiam?
SE. Duxi domum inueniens tandem. EV. Sed ubi? S.
non est notus satis
Locus, persuasi. EV. O perfidum. Me omnes quærelæ
deſerunt,
Non copia est quæ ſufficiat uerborum, quibus enunciem
Dolores, sed quo contulit se? SE. An non uides, à ter-
go adest
Tuo. CA. Quo res mecum euadet? EV. Celebrabi-
tur feſtus dies,
Veni. CA. Velim ſacrificia, conciones, perditas pre-
ces,
Et iſtius farinæ res & fabulas ſuſpendier,

Mihi

Mihi nec hoc pilo obſunt, nec proſunt, Vana fiunt omnia.

Vulpes libentius uenarer, quam de concionibus
Audire loqui, in quibus non ullum uerbum cor tangit
meum,

Sed quæquæ dicta ſunt peregrina mihi, nihil horum intelligo.

EV. Quid ais? CA. Rogauit, quomodo uos habere-
tis, bene, an male.

E. Totus nequitia es, nec ſuperſedes tuis dolis. CA. Tuis

Dolis. EV. Quid peſſime? CA. Nihil plane. Recti
nihil reſpondeo,

Et hamis uerborum ipſam inuoluo. An non hæc eſt ſala-
latia?

EV. Examinabit te pater, quid didiceris, quando offeret
Deo ſacrificium. CA. Quod neſcio, quid didicerim, bonum
eſt.

Si quid ſcio, parum eſt, & quo ſcio minus, reſpondebo
minus.

Si plurimum noſſem, ſubiicere me proſiſtis cogerer
Interrogationibus. Quid hac moleſtia mihi
Peius foret? Fatuus uel unus plura ſæpe proijcit
In medium, quam ſoluere corona ſapientum potis
eſt. EV. Rogo,

Quid garrit? SE. Patrem fatuum nuncupat, ſi per-
cepi integra

Verba. EV. O tu ſurcifer, non dignè, quem tellus enu-
triat.

Preſtat Pater quæcunquæ pro uiribus ipſi ſuis datum eſt,
Inſtituit

Instituit uos, laborat, non se respicit, nullum senex,
Et languidus tempus remittit. C. Cur seductrici tibi
Obtemperauit, & Deo non paruit? si modo tuis
Res ipsa uerbis congruit. E. Committam hanc totam
rem Deo,

Qui de te sumet poenas, quas non ulla lingua proloqui
Nouit. C. Spacij est satis ad poenas. E. Lacrymis do-
lorem egero meum

Immensum. Nunc tamen ut laueris ingredi. C A.
Tandem scias,

Lauari nolo. E. Sus sis: C. his quiesce uerbis, rem tenes.

E. Ah miseram. Sed interim uenite filij probi,

C. Vtinam potestas detur istos purgandi pro animo
meo.

Ingrédiam tamen, & matrem porcelli sequar, ne uapule-
m.

ACTVS QVARTI

SCENA I.

EVA. ABEL. SETH. CAIN.

Qualem concentum audimus? Filij hoc quid est?

A B. Sonus est angelicus, ut reor, laudens Deum,

S. Quid si ueniat ad nos nunc Deus, & Angeli?

Prospice mater. E. Profecto, filij, uenit,

Agamus ipsi gratias, quod uisitat

Nos, & se nobis patefacit. C. Cur iam uenit?

Quid

Quid ei nunc est agendi hic cause? E. Quid? tamen
Precamur, ut Deus pater semper sua
Clementia nobis adsit, nos protegat. C A.

Quò fugiam, ne me uideat sordidum Deus?

E. Te sordidatum & squalentem, cur non mihi
Morem gessisti, ut esses iam lotus? Sed hinc

Quod ad usum pecudum stramen congestum in domo
est,

In eo te occultes. Huc uenite filij,

Deum & Angelos reuerenter expectabitis,

Et ingressi cum fuerint flexo poplite

Dextra excipietis, & uestris statim locis

Taciti rursum consistetis. Nunc obuiam

Procedam eis, Mens est mihi plena gaudij.

ACTVS QVARTISCE NA SECUNDA.

DEVS, ANGELI TRES, GABRIEL.

MICAEL. RAPHAEL. EVA.

ABEL. SETH.

Pax tecum filia, uobis sit pax filij:

A. Pax huic domui, quæ à solo descendit Deo.

E. O clemens pater, ô Deus, & Angeli mei,

Aeterne mundi Domine, quas grates tuæ

Clementiæ possum agere, uel tuum quibus

Efferre nomen laudibus sanctissimum?

O boni.

O bonitatem, & gratiam, & immensam misericordiam
tuam,

Num satis esse tibi grati possumus, quod ad nos cum
tuis

Ministris, ô Deus, uenis hac pressos solitudine,

Nec cogitas nos esse indignos misericordia tua?

Ah pater, asylon nostrum, turris, arx, quies, fiducia,

Spes, auxilium, salus, perfugium, & robur, ne respice

Peccata nostra, qui coram te si quid sumus heu noxia

Culpa sumus, nil est homo quod dignaris eum honore
maximo,

Et tam benignè amplecteris, hic inanitate inanior.

Nefas est. Subeat miseratio menti tuæ. Nunc est opus

Tua clementia. Nam agnoscimus patrata crimina,

Que animos nostros dieq; & nocte cruciant. Ah certè
pudet,

Et mihi dolet quod tales uultus sustinui offendere ni-
mis.

Ah cur non ueriti fuimus te, cur non tuam præsentiam?

Cur te aspiciente errauimus? Tu iustus solus es Deus.

Sed nos nihil præter lutum & sordes à parte omni su-
mus.

Quare ô pater se miseros atq; egros tibi fatentium

Miserere, quos nisi tu solus, nemo leuare unquam que-
at,

Contrita nouo uigore ossa repara, & auerte tuos à uul-
nere

Nostro oculos, dele quod sceleris congestum in nobis
hesitat. Aufer

Aufer mortiferi pectoris immūdi, Deus, contagia.

DEVS. Filia mea surge. Dico enim tibi sunt remissa
crimina,

Nec amplius horum sum memor. Miseris mea non de-
est gratia,

Que exuperat molem erratorum omnium, modo se
agnoscant pij,

Et huc, quò confugiendum est, confugiant certa fidu-
cia,

Hic gratiam se impetraturos. EV. O clementissime
pater,

Bonitas tua sine caret. Tibi sit laus, gloria, honor, car-
men, decus.

Te prædicet quicquid mouere spiritum uitæ potest.

ANG. Amen. EV. Venite filij, excipite Deum no-
strum patrem

Sincero ardore cordium uestrorum. AB. O conditor,
Deus

Noster, pater misericors, tuus aduentus est gratissimus
Nobis, & plenus consolationum. SE. Cælestis pater,

Omnipotens, & iuste Deus, agimus tota mente gra-
tias

Tibi, quod nos miseros uisitare dignaris. DE. Placet
mihi

Tua diligentia uehementer, Filia, quod sic liberos

Ornas, & ad morum elegantiam componis sedulo.

Sed hi gestus modo sunt elementa, & discipline regu-
la,

Alia

Alia grauior doctrina accedere debet, ut sese sciant
Ad agnitionem & noticiam Dei nasci in primis. Et
hanc

Propagare studeant, & conseruent datam de semine
Promissionem: & obediant mihi iuxta leges meas
Vobis insculptas, ac articulos fidei teneant memori-
ter.

E V. O Deus & pater, hæc inculcamus eis pro no-
stris uiribus.

Momentis singulis, & summa semper cura annitimur,
Vt nostra soboles sit in officio, ne te offendamus ma-
gis.

Memini miserandi lapsus nostri, & sceleris, atq; cogi-
to

Quanta benignitate nos, quamuis lapsos, receperis.
Prospicimus quàm duræ poenæ posteritati omni im-
pendeant,

Quæ deserit te, Eoq; neruos omnes, nos intendimus,
Vt conditorem te monstremus filijs, & quæ uelis
Officia, doceamus eos, & quam spem salutis integræ
Recuperandæ proposueris. Sed ipse eos uelim audias,
Vt si quid non rectè didicere, tua uoce emendarier
Possit. D E. Placet mihi tuum consilium, Filia, E V. O
pater

Quàm recreor me nominata filia. D E. Filia mihi
Eris semper, paterq; semper tibi ero. Sed ueni puer
Abele, parentū recita dictata, & primum legis meæ,
Quæ uobis indita est, capita recense, seruato ordine.

ABEL.

ABEL.

A Eternus, solusq; potens Deus, omnia complens,
Fons rerum, mens sine carens, mens edita nullo
Principio, sapiens, solus Deus, unus, & idem,
In triplici numen simplex, & trinus in uno,
Qui uerbo motum spirante, hic quicquid ubiq;
Mundus habet, fecit, terramq; & sydera cœli,
Flumina continuis semper manantia riuis,
Humanumq; genus, uolucres, speciesq; ferarum,
Et solus nutu mirando cuncta gubernat,
Quæ fecit, nec forte sinit procedere, sicut
Fert fortuna leuis temerè uel casus oberrans.
Ille Deus, qui cuncta potest, cui cuncta ministrant,
Omnibus hæc dicit memoranda oracula legis.

I.

Sum Deus omnipotens, qui primum exordia rebus
Prima dedi, Deus æternus, suprema potestas,
Solut, & haud alijs concedens nomen honoris
Diuini, mihi quod soli debetur & uni.
Audi mortalis, soli seruire studebis
Tu mihi, non alijs, tu me cole, meq; celebra,
In me confidas, mihi te, tuaq; omnia crede.
Non tribuas iussos falsis insanus honores
Numinibus, sed me solum, me numen adora.
Nam tuus ipse Deus tibi sum, seruator, & autor,
Sum pater, & Dominus uera pietate colendus.

E

Tu ne

II.

Tu ne forte meum frustra tibi sumito nomen,
Lingua nec id temerè uano tua proferat usu,
Quod semper fuit, est, & erit super omnia summum,
Labe carens, sanctum, nulli uiolabile nomen.

III.

Que uolo, ne uioles externo sabbata cultu,
Sintq; manus puræ, sed mens sit purior illis,
Lux ea sacra mihi est, hanc puro pectore seras.

IIII.

Præterea si uis foelicem degere uitam,
Fortunaq; bona quoties cupis esse beatus,
Victurus longos annos, & secula mille,
Tum uenerare tuos, qui te genuere, parentes,
Et caue ne meritos demas incautus honores,
Ut quoq; quando tibi nascentur pignora, patrem
Te uenerentur, ament, uero dignentur honore.

V.

Non odio flagres, nulli sis causa doloris,
Nec facies coedem, Deus est iustissimus ultor.

VI.

Sit tibi coniugium castum, uiolare cubile
Alterius caueas, & spurcas excute flammæ.

VII.

Non facias furtum, contentus uiuito rebus,
Quas tibi coelestis tribuit clementia patris.

Decipe

VIII.

Decipe ne miserum mentito iure clientem,
Si fies testis, nil attestabere ficti,
Sit procul omne nefas, liuor, mendatia, fraudes,
Lingua placet, quæ uera refert, nec fingit iniqua
Verba nociua reo, damnumq; ferentia fratri.

IX.

Non alias ædes inuade, sit omnis habendi
Cura procul, nunquam te cœca cupido molestet.

X.

Non aliena petas connubia fraudibus ullis,
Aspiciens oculis talamum flagrantibus astu,
Et pleno insidijs animo iuueniliter ardens.
Appete nec quicquam quod summi gratia patris
Magna tuo tribuit ciui, dedit omnibus ille,
Quantum sufficiat, breuis & quod uita requirat.
Non agros, non tecta, boues, iumenta, ministros,
Ancillasuè petas. Nam certe est prima malorum
Causa cupido nocens, & amor sceleratus habendi.
DEVS. Recte fili, hæc est mea sententia, iuxta
quam iudex ero,
Et pœnas sumam à diffidentibus promisso semini. (tia
Mibi placet pietas parentum, & studium & congruen-
Sermonis, Sed nunc fidei capita tuæ, fili, enarra mihi.

ABEL.

Esse Deum credo, qui uerbo cuncta creauit,
Qui Deus est triplici simplex in numine numen.

E 2

Et series

Et series operum mundi quem pulchra parentem
Testatur, quocunq; uides, quocunq; moueris.
Hic Deus æternus, iustus, miserator, & æquus,
Indidit in nostras cœlestia lumina mentes,
Exemplumq; sui uoluit nos esse uerendum,
In quo perpetuò sapientia uera niteret,
Congrueretq; Deo mens nostra, & pura uoluntas,
Talis mens hominum prorsus sine labe fuisset,
Si data seruassent nostri præcepta parentes,
Et non seducti serpentis fraude fuissent.
Nunc tamen & lapsos recipit, nos gratia summi
Patris: & abstergit promissio uulnera mentis,
Ob quam placatus uult nos, qui credimus, esse
Participes uitæ, quam nobis nobile rursus
Restituet semen, mortis prostrator, & hostis.
Sic nihil æternæ poterit nocuisse saluti,
Quò minus hæc nobis, qui semine nitimur, esse
Certa queat, Miseros promissio fallere nescit.
Sed si qui fuerint, quibus huius magna salutis
Copia non dabitur, non isthæc culpa parentis
Propicij fuerit, sed propria culpa resistet,
Qua Satanae carniq; suæ mortalis adheret.
Et quanquam dum uita manet, nos plurima ledent
Damna, furor Satanae, caro, mors, peccata, tyrannis:
Attamen in nobis uera lux & uita nitebit,
Semper & in terris Ecclesia noua manebit,
Et propter semen nos saluos esse sciemus.
Nam Deus interitum non uult, non abiicit ullos

Qui

Qui uitæ mutare student peccata prioris.
Est bonus & lenis, nult omnes culmina cœli
Scandere, uultq; frui nos asuetudine coetus
Angelici, quando de corpore spiritus exit.
Tunc ueluti cœli stellæ lucebimus omnes,
Et Deus omnipotens erit omnia in omnibus unus.
Sic ego perpetuo constanti pectore credam,
Vitalem donec solis conspexero lucem.
DEVS. Paucis complexus multa, fili, protulisti, sura
ge nunc,
Satisfecisti, & sic uelim pergas feliciter, tibi
Meum dabo spiritum, qui te doceat, & semper dirigat,
Et te defendat in omnibus uijs tuis. A B. Laus sit Deo
Et gloria. A N. Amen. DE. Tu Seth quoq; nunc ueni,
Sentis ne sic, tuus
Ut frater edidit confessionem: S E. Sic semper, Deus
Pater, sentio & ijsdem uerbis. DE. Rectè &
piè facis.
Nam & certa uerba uolo in coetu meo extare, quibus
integra
Doctrina comprehendatur, ne uerba diuersa pariant
Diuersam, aut ambiguam sententiam. Sed formulam
tuæ
Orationis recita breuiter comprehensam, qua uteris.

S E T H.

O pater, ô æterne Deus, regnator Olympi,
Quem colimus patrem, qui nos sua pignora seruat.

E 3

Nomen

I.

Nomen ubiq; tuum uero celebretur honore,
O pater, & nullo celebrari desinat æuo.

II.

Viuificumq; tuum ueniat, Deus optime regnum,
Fime carens, coeleste, potens, plenumq; salutis.

III.

In terris fiat tua magna, & sancta uoluntas,
Angelici sicut parent ad iussa ministri,
Et quicumq; colunt cœli commercia ciues.

IIII.

Da pater ipse tuæ panem, tua munera, caule,
Ut grex demenso, quod uita requirit, alatur.

V.

In primis, Deus ô clemens, pater optime, nobis
Da ueniam, miserere Deus, peccata remitte.
Dantibus & ueniam, facile ignoscentibus omni,
A quo facta fuit nobis inuaria crebro,
gnoscas rursus, miseris succurre, fur orem
Siste pater, ueteris dele contagia culpæ,
Nec merito noxam patratam iure coërce.

VI.

Tu quoq; iuste pater, sis præsto, robora pressis
Suffice, ne rabido forsân tentemur ab hoste,

Qui

Qui multis sumus etate malis hinc inde redacti,
Et miseri satis in nobis & carne uidemur.

VII.

Deniq; ab aduersis clemens nos eripe rebus
Omnibus, atq; tuo miseros defendito uultu,
O pater, ô uirtute potens, rex maxime regum.

ANG. Amen. DE. Placet mihi forma orationis. Sed
quid de sacris,

Quæ mihi parentes offerunt statuis? SE. Credo quod
signa sint

Sacrificij, quod pro nobis ad placandum Deum offeret
Promissum semen DE. Nihil deest, fili, tuæ sententiæ.

Et ut sic sentiatis, filij, constanti pectore,
Hortor uos, & de doctrina parentes consulatis, &

Nullis opinionibus patiamini uerbum Dei
Contaminari. Sitis etiam morigeri parentibus.

Nam hi sunt mihi gratissimi cultus, quibus ego præmia
Retribuam. Vobis omnibus in malis opem placidè fe-
ram.

Tua uero sedulitas, maritiq; tui, filia, maxime
Probatur, liberos quod erudis tuos uerbo meo.

Sed ubi est Cain? Nihil celari me potest, qui sum
Deus

Omnia uideo, quod intra & extra mundum est. De
foeno aduoca

Eum, fili Seth. EV. O pater, ueniam errati concedito.

DE. Non est ut de uenia dubites, Veniam facile do, filia.

ACTVS QVARTISCE
NA III.

SETH. CAIN.

CAin frater. C A. Te adiuro per Deos, tace.
Aut iste numné abiuit? S E. Quisnam iste? C A.
Deum quem uos dicitis.
S E. Adhuc adest. C A. Cur ergo me uocas? abi, tace,
ne me
Vbi sim audiat. S E. Quin iam scit, & uidet. C A. Quis
me igitur prodidit?
S E. Quis prodidisset? Nemo. Te Deus uidet. C A.
Quot ergo habet
Oculos? Oculatus ne est ubiq;? S E. Nil eum fugit, est
Deus,
Qui quæ nos gerimus, audit & uidet. Sed te expectat,
ueni.
C A. Quid, dic, agam? Miser perij. S E. Exquiret de
te, quid didiceris.
C A. Heu occidi, Nihil tamen scio. S E. Mox mox ueni.
C A. Sequor.

ACTVS QVARTI
SECENA IIII.

DEVS. EVA. CAIN. ANGELI.
ABEL. SETH.

Cain

CAin quàm sordidus. E V. Quàm rigidus astas
hic coram Deo,
Excute stipulas de capite & uestibus. Quid? obuertis
Deo
Tergum? Non excipis Deum tuum? Salutas Ange-
los?
C A. Bene ueneritis omnes. E V. Quid leuam porrigis
Deo manum?
Non flexo poplite? D E. Cain me respice, ueni, recita
tibi,
Quid didiceris, Ferociam quam præ te fers? quàm
contumax
Videris, cur facies tua adeò concidit? Num truncus es?
Imaginem mei tibi inditam tam sepelis perditè?
Accede, recita. C A. Oblitus sum miser, quod edoctus
fui.
D E. Nihil didicisti, quare nil tenes? E V. O misera-
riam meam.
D E. Noli анги filia, in te culpa sita non est. Satis tui
Mibi filij tuam sedulitatem ostendère. Quid moram
Facis Cain, dic qualem orandi seruas formam, & ordi-
nem?
C A. Ni fallor hæc aliquando uerba edoctus protuli,
tamen
Penitus nolo affirmare. Nam ferè excidère iterum mihi.
Pater coelis noster, nomen tuum fiat, regnum tuum,
Ut in terra sic etiam coelis, & multum panem mihi

E S Des,

Des, & remitte es alienum, daq; omne malum nobis,
Amen.

E V. Obstupescit & tota languet. Deus pater nil con-
sultat,

Nihil obseruat, dictis nunquam presentem mentem ac-
commodat,

Raro domi est. Abel & Seth si instruere uerbis tuis
eum

Volunt, minatur uerbera, & extra edes profilit, &
non redit

Donec cogatur impendente nocte. D E. Non poena
Excides

Cain, si non resipueris. Sed audiam tuam fidem
Si forte habes aliquam. C A. Videbo quid possum. Sic
credo ego:

Esse Deum patrem terrae, serpentis semen, tritum ca-
put

Mulieris, & communionem spiritum sanctorum, Amen.

D E. Absoluisti? C A. Vix haec commemorare potui.

D E. Statuis ne te

Salutem posse consequi? C A. Hoc uidero, cum ex hac
decessero

Vita. Electus si sum, saluus ero forsitan. Sed si Deus

Me non elegit antea, faciam quod uis licet, tamen

Salutis spem concipere non ausim mihi. D E. Haec Cain
in fides

Tua est? C A. Quis dubitat? D E. Quid sentis de sa-
crificijs? C A. His scilicet

Colena

Colendum censeo Deum, ut illis motus fecundos agros
Nobis praestet uicissim. D E. Quis te sic impie docuit?

C A. mihi

Ratio mea sic refert, quae est iudex & doctor meo qua-
dem

Iudicio praestantissimus. D E. Fallis te ipsam Cain sce-
lus,

Qui sequitur rationis iudicium, in tenebris horrendis
manet.

C A. Quod oculi contem-
lantur cor meum esse credit.

D E. Qui nihil

Vident, & credunt tamen hoc, quod meum uerbum
ipsis praedicat,

Eorum caelorum possessio est, Fides quod non uides

Primum requirit, Nam fidei uidere non praepositur,

Nec est simul, sed sequitur. C A. Hoc quid sit miror.

D E. Redi in uiam

Cain, fideiq; doctrinam a parentibus discas tuis,

Subire ni irae pondus intollerabile uelis, quod caret

Fine & modo. Vos autem, cum sitis parentes, filij,

Futuri humani generis, praelucere posteris uelim

Vos & doctrina & pietate, atq; exemplo uitae candi-
dae.

Non minus oppugnabit uos serpens Diabolus, quam
ut antea

Vestros parentes oppugnauit. Verum his auxilium se-
ret

Aduersus serpentem, Heros promissus, qui tradita sibi
Promissio

Promissionem conseruabunt. Et quoniam regi genus
Humanum uolo uerbo Dei, & coërceri norma pie
Discipline, ex uestro cœtu aptos consecrabo & delin
gam.

Tu igitur Abel ad me accedito, ut manus capiti impo
nens tuo

Te consecrem, tibiq; impertiam nunc spiritum meum,
Ut sis sacerdos. Munus erit tuum, doctrinam traditam
Diuinitus proponere cæteris omnibus, & cœlitus
Monstrata sacrificia facere, eaq; recte interpretarier.
In omnibus te ipsum bonorum operum reliquis præbe
typum,

Et contumaces, qui polluti sceleribus pugnantibus
Cum lege mea, quam recitasti, non se emendant, uer
bo meo

Statim excommunicam, donec agant ueram poenitentia
am,

Et absolute digni fiant membra Ecclesie.

Annuncia remissionem peccatorum nomine

Promissi seminis resipiscantibus. Et nec pericula

Subeunda propter hanc professionem defugies. Tui

Agones testabuntur ærumnas piorum maxime

Gratos mihi esse cultus, & futurum quale seminis

Promissi sit sacrificium significabunt. Igitur Abel

Sacerdotali uestimento te induito. Tu Seth ueni,

Te cæteris regem præficio, Munus esse illud tuum

Scies, ut doctrinam, quam profitetur puram frater tua
us,

us,

Custodias,

Custodias, & omnibus tuearis illam uiribus.

Et impios, qui eructant conuicia tetra aduersus Deum,
Tollas & puntas. In cæteros etiam, qui politicum
Statum turbabunt, animaduertas, Hoc diadema signum
erit

Tuæ eminentiæ præ cæteris. Sceptrum uero tibi
Iusticiam inculcabit semper. Vos ergo consecro filios,
In nomine Patris, Filij, atq; sancti Spiritus. A N G.
Amen.

G A B. Laus sit Deo memori suæ clementiæ. M I C. Sit
gloria

Deo, qui non finit creaturas suas, quibus dedit
Sapientiam suam, perire propter astus Diaboli.

R A. Referant Dei laudes omnes lingue, dicantq; gra
tias

Pro tanta misericordia. G A B. Cœlestes animæ laudibus

Deum propitium accumulent, celebret eum cœlorum
exercitus,

Sol, luna, stelle, uarij motus syderum, aquæ cœlos su
per

Et nubes. M I C. Celebrant ipsum animantia terræ, ho
mines, & quicquid est

Quod flatum uitæ habet. R A. Celebrant eum immen
si ceti maris,

Fruges, uolucres, reptilium genus omne, auium genus
omne celebret

Deum, Dei clementiam. G A B. Laudent terræ reges
Deum, Et poa

Et populi, & principes. MIC. Laudent pueri, iuue-
nes, senes, Deum,
Puella, matres. R A. In primis uerbi cœtus laudet De-
um.
A N. Amen. D E. Vobis ergo duobus posteri omnes
pareant,
Et hunc Cain tàm rusticum, qui ut est inculto corpore,
Sic mores habet agrestes, & feros, seruum uobis uolo
Esse, & metu legum coerceri, & poenarum uinculis,
Ne uel doctrinam adficiat contumelia, uel forsitan
Societatem perturbet publicam. Et tu filia liberos
Posthac, ut hactenus, erudies. E. Faciam Deus ut tibi
placet.
In te spes omnis, ô pater, nobis sita est, si deseris,
Perimus. Si iuuas, sanamur, & non est periculum.
D E. Quod promisi, certo fiet, Sed nunc tandem una
cum Angelis,
Qui uos custodient, discedam, Vos ualete filij,
Et officio uestro recte fungamini. A B. Deus pater
Studebimus pro uiribus nostris, ut placeamus tibi
S E. Faciemus, ut Deus pater iubes & nobis præcipis.
D E. Tu quoq; Cain uale, fac & quod filium pium de-
cet,
Obtemperaturus parentibus tuis. C A. Hem, gratias.
E V. Deus abeuntem te paulum comitabor, & Ange-
los tuos.
A. Valete, & uiuite diu uos fraterculi. MIC. Vale-
at domus

Hæc

Hæc tota feliciter. R A. Huic sit domui salus. A B.
Fratres mei
Venite, ingrediamur laudaturi tàm clementem Deum.
D E. Non est opus filia, te longius procedere de do-
mo,
Ad liberos redi. Promitto tibi & tuis opem meam,
Et Angelos custodes familiæ tuæ tibi dabo,
Qui abarceant serpentis tela, machinasq; & spicula.
Rursus uale, & salutabis tuum maritum nomine
Meo, ipsiq; meam gratiam carentem sine annuncia.
E V. Faciam Deus, protector, & salus, pater, spes, &
quies.
Nunc demum tota sum renata, filia quando sum Dei.
Et me Deus sic ipse nominat. Maritus meus ad hæc
Quidnam? quando reuertetur domum? Exulto præ
gaudio.
Nunc ingrediar expectatura mariti reditum, & filios
Monitura ad noua munera rectè exequenda, quæ impo-
suit Deus.

Finis Comœdiæ.

